



## TERTIA CLASSIS.

DE QUIBUSDAM ALIIS MEDICAMENTIS IN SOLIDA ET FLUIDA SIMUL OPERANTIBUS.

---

### CAPUT PRIMUM.

#### *De Aperientibus.*

1. **A**perientia sunt illa Medicamenta, quæ Meatus obstructos aperiunt. Horum autem tres dantur Classes, quarum Prima continet omnia quæ Vasa laxant; de quibus antea diximus: Secunda complectitur ea quæ Liquida attenuant, resolvunt, ac diluunt; de quibus etiam superius aëtum est: Tertia demum includit quæcunque, postquam Vasa laxata sunt, & Liquidum attenuatum est, utraque in motum agunt, & Circulationem promovent.

2. **E**nimvero ad aperiendum Vas aliud obstructum, hæc tria necessario requiruntur; 1o. ut Vasa laxentur; 2o. ut materies impasta resolvatur, aut faltem

falterm diluatur ; 30. tandem ut in hoc  
Vase promoveatur Circulatio .

**COROLL.** Inde patet igitur , quum  
temere nonnulli asserant Aperientia  
dari Specifica ; qualia esse dicunt Scordium ,  
Marrubium album , Spiritum Salis Ammoniaci , &c.

## C A P U T II.

### *De Discutientibus.*

1. **D**iscutientia sunt ea , quæ Liquidum , vel in Vasis , vel extravasatum , stagnans aut coagulatum , dissipant , sine sensibili Continui solutione in externis . Hæc vero tot sunt , quot diversæ dantur Stagnationis , aut Extravasationis causæ .

2. Liquidum autem stagnat in Vasis , fitque tumor , 10. A plethora ; tumque tumor ruber appetet : quo quidem in casu summum Discutiens est evacuatio Liquidi a quo Stagnans a tergo urgetur ; hinc igitur Venæ-secatio tumores hosce rubros tollere vallet . 20. Tumor istiusmodi oritur ab inflammatione : tunc autem verum Discutiens est . (1) quicquid Vasa laxat ; (2) omne quod Vas laxatum varie

mo-

movet, applicando nimis potentes motrices valde contrahentes & dilatantes: hoc ergo sit mittendo Sanguinem, & per Frictiones externas; (3) quicquid; Vasa deplendo, Liquida revellit, resolvit, attenuat, & diluit. 30. Tumor ortum dicit ex crassitate coacti sive coagulati Liquidi; hunc vero *discutit* tantummodo Medicamentum Aperiens.

3. Liquida porro extravasata *discutuntur*, quando in Vasa sua rursus adiguntur: istud vero obtinetur, 10. Vasa Absorbentia liberando, quantum fieri potest, a Liquidis distendentibus: [ haec autem Absorbentia Vasa, (de quibus jam actum est in PROLEG. CAP.V. §. I.) a VIEUSSENS (a), in plurimis Visceribus, ope Microscopii, detecta sunt, & terminantur in Venas eodem modo ac Vascula Excretoria oriuntur ab Arteriis. ] Hoc vero sit per summam Sanguinis missionem, vel per Hydragogorum usum, ubi Venæ-sectio non est licita: quæ quidem duo non debilitant in hoc casu, sed potius reficiunt; unde tunc temporis plurimum prosunt, dummodo simul adhiberi queant. 20. Idem obtinetur omnium

[a] Confer hujus AUCTORIS *Novum Vasorum Corporis Humani Systema*, pag. m. 23. & seq.

nium Aperientium ope. 30. Per vim  
externam , sive prementem , sive sic-  
cantem , Corpori applicatam . Porro  
notandum est , *Discutientia contra Skir-*  
*rhos nequaquam valere .*

## C A P U T III.

*De Emollientibus.*

1. **E**MOLLIENS est illud omne , quod  
partem nostri Corporis , indu-  
ratam & in unam molem compactam ,  
in priorem statum Liquidi contenti &  
Solidi continentis reducit . Ceterum In-  
duratio fit in Corpore nostro 3 præ-  
cipue modis ; nimirum , 10. A nimia  
Liquidorum coctione & pressione : hoc  
enim pacto fluidissimæ partes expri-  
muntur , & crassiores in molem com-  
pactiorem adiunguntur ; unde quidem  
accidit , ut Vasa partim inanita , bre-  
vissimo temporis spatio , in unum coa-  
lescant atque solidescant , vel Crassa  
stagnantia seu impæcta cum suis Vasis  
concrescant . 20. A coagulo quod ex  
propria Liquidorum natura oritur :  
jam vero tale dari coagulum patet ex  
Albumine Ovi , quod ab Igne coagu-  
latur , licet testa maneat inclusum .

30. A

30. A coagulo superinducto per misturam corporis alicujus coagulantis.

2. *Emollienta* sunt vel *interna*, vel *externa*. Ea vero dicimus *interna*, 10. Quæ usurpantur specie *Halitus*, aut *Suffumigii* hausti, vel injecti : talis autem est *Aqua in vaporem soluta*, quæ nihil magis emollit ; sed non debet esse nimis fervida, tunc enim constringit, sed moderate calida, tumque maximum est *Emolliens* ; uti patet in *Ossibus & Cornibus philosophice calcinatis*, quæ plus emolliuntur a Vapore, quam a Coctione. *Emollientia* quæ intus assumuntur, sunt 20. *Juscula* ex omnibus Animalium partibus, ac præfertim ex *Mesenterio & Intestinis*, parata. 30. *Ovorum Vitelli* crudi ; qui licet nullam habeant acredinem, at-tamen Resinas & Gummi solvunt. 40. *Decocta* quælibet ex Farinaceis blandis, imprimisque Frumentaceis, quæ quidem expressa dant Oleum blandissimum, benignitate Oleum Amygdalarum dulcium referens : talia sunt *Secale*, *Triticum*, *Avena*, *Hordeum*, *Milium*, *Pistaciæ*; præcipue vero horum omnium Farinæ ; nec non Semina quatuor *Frigida majora*, & minoræ. 50. *Decocta* ex *Herbis mucilaginosis & farinosis*, fere insipidis : tales autem Herbae sunt omnes Malvarum  
spe-

species, Branca-Ursina, Verbascum, Parietaria, Mercurialis, Violaria, Glycyrrhiza, Papaver erraticum, Saponaria, &c. quæ vero omnes cognoscuntur ex lentore sui succu. 60. Decocta ex similibus Fructibus mucilaginosis dulcibus: ut sunt Ficus, Sebosten, Passulæ majores, Uvæ Corinthiaceæ. 70. Succi non acres Plantarum: uti sunt Mel, Saccharum, Cassia, Manna. 80. Olea expressa fere insipida: sicut Olea Amygdalarum dulcium, Nucum Coque, Pistaciæ, Seminis Papaveris albi, Hyoscyami, Olivarum, Lini, Nucum Juglandium. 90. Cremor Læctis dulcis, & Butyrum recens.

3. Emollientia porro externa eadem sunt; sed applicantur forma Litus, Unguenti, Fottis, Balnei, Vaporis, Cataplasmati, Emplasti, Embrochationis.

*Litus* fiunt ex materia pingui, chylosa, medullosa, compacta, Corpori illita; ut ex Medulla Officium, &c.

*Unguenta* sunt *Litus* crassiores, constantque ex Olei quibusdam & Pinquedine.

*Fotis* sunt Decocta, per corpora spongea, Membris calide applicata.

*Cataplasma* sunt ipsa Emollientia in Aqua cocta, & applicata Corpori.

*Empla-*

Emplastrum est simile quid, in consistentiam spissiorem redactum.

[*Embrochatio*, sive *Embroche*, *Impluvium*, *Irrigatio*, *Instillatio*, *Stillicidium*, est Fomentationis genus, quem Liquor fomentans *stillatim* seu *guttatum* in partem fomentandam funditur.]

Horum autem omnium *Emollientium* nullum est praestantius, quam Vapor calidus Animalis recens *mactati*; v.g., si Brachium, aut aliud Membrum, nudum immittatur in corpus Animalis recenter occisi; quod quidem Remedium nullibi plus vocatur in usum quam in Italia (a).

Cete-

[a] AUCTOR noster, dubio procul, aludit ad memorabilem hunc casum, quem referunt Historici de ALEXANDRO VI. Pontif. Max. & CÆSARE VALENTINO BORGIA, hujus Filio Notho: qui quum in convivio Cardinales aliquot, quorum opibus inhiabant, parato *Toxico* de medio tollere voluerint, accidit, errore Pocillatoris, ut *venenatum Falernum* ipsis propinaretur *Venefcis*; quo quidem epoto, brevi post ad plures abiit ALEXANDER; at vero CÆSAREM, qui dilutius biberat, Orci faucibus eripuere Medici, opportunorum scilicet administratione Remediiorum, ac imprimis ipsum in Abdomine *Mulæ* recens exenterate nudum includendo: siquidem hujuscemodi fomento adeo fuit emollita Cutis, & promota simul Diaphoresis, ut Ve-

Ceterum hæc omnia in eo optima sunt, quod, licet ad loca applicentur *indurata*, nunquam tamen noxia sint; cum Aperientia, &c. sæpe Inflammationem augent, Skirrhosque & Cancros generent.

## CA-

*nenum*, per undiquaque patentia Spiraculorum Cutaneorum oscula, dilatatum exiverit, atque sic mortem evaserit iste Princeps, expilatus tamen, & Cute perditus, quin & exinde diuturno ac importuno morbo vexatus. Confer OLDOINUM, in *Addit. ad CIACONIUM*, *Histor. Pontif. Rom. & Cardin.* Tom. III. pag. m. 161. & 162. De hac re posunt etiam consuli alii complures, ut GUICCIARDINUS, AUBERIUS, MARIANA, &c. Videbis quoque MARC. AUREL. SEVERINUM, in *Trimemb. Chirurg.* Cap. de *Medela ex dissectis vivis Ani- mantibus*, pag. m. 221. Similem vero casum resert RHODIUS, ( *Observ. Medic. Centur. III. Obs. 37.* ) de FRANC. ALVAROTO, *Falcini Marchione*, qui Vinum *Sublimato Corroso* infectum hauserat, & eodem modo servatus fuit [ si fides Auctori ] ac CÆSAR BORGIA.

C A P U T IV.

*De Astringentibus, & Insurantibus.*

1. DE hisce Medicamentis , nec non de Corroborantibus , in historia Remediorum quæ operantur in Solida jam actum est , sub titulo nempe *Contraheantium* ; in historia vero eorum quæ agunt in Fluida , sub titulo *Condensantium* , *Incrassantium* , & *Coagulantium* . Hic autem loci considerantur *Astringentia* quatenus vim Vasorum *contractilem* adaugent , simul & Liquida *inspissant* : hujusmodi vero sunt Fructus omnes immaturi ; hi quippe Fibras accurtant , & Liquida condensant .

2. Ea porro quæ vocantur *Indurantia* cum *Astringentibus* omnino congruunt , ejusdemque sunt indolis ; ac proinde necesse non est ut de iis aliquid amplius dicamus . Verum de *Detergentibus* , *Emundantibus* , & *Erodientibus* nunc est agendum .

CA.

## C A P U T V.

*De Detergentibus, Emundantibus,  
& Eroentibus.*

I. **D**etergentia sunt ea, quæ, Cor-  
pori applicata, Alienum ali-  
quid adhærens removere possunt, abs-  
que lesione Corporis cui adhæret. Illud  
autem Alienum vocamus quod nequit  
unum corpus cum eo cui adhæret  
confluere; sicut est Sanguinis gru-  
mus lateribus Vulneris adhærens: Ce-  
terum, hæc adhæsio debet a tenacita-  
te pendere; telum enim aut spina  
parti cuidam inhærens hoc minime  
pertinet.

*Detergentis* itaque Medicamenti ob-  
jectum nullum est nisi *Tenax*; quod  
quidem necessario constat ex Oleo  
indurato; nam alia Indurata sive  
*Coagulata* non adhærent proptet vis-  
cositatem & tenacitatem. Sic igitur  
*Detersus* debet primo dividere *Tenax*  
illud, tum idem in hunc redu-  
cere statum, ut ab Aqua solvi &  
ablui possit; quum autem Oleum sit,  
hinc Aquæ solius ope nequaquam  
abluitur; verum si prius ovi *Vitello*  
frice-

fricitur, deinde cum Aqua facile misceri potetit, ac educi.

Huc igitur faciunt omnia *Saponacea*, & *Lixivia* summe alcalina; quippe duos ista Tenax disponunt ut Aquæ commisceatur. *Saponacea* porro sunt Olea quæcunque Salibus commista; hæc autem si adhibeantur interne, tum lenia debent esse, nam alioquin erodent: dantur vero duplia; scilicet, 10. *Nativa*: inter quæ primas tenent Mel, Aloe, Manna, *Cassia*, *Saccharum*, Lac omne blandum Vegetarium, ut *Laetucæ*, *Cichorii*, *Taraxaci*, *Scorzonerae*, & succus *Saponariæ*. Pertinet huc etiam *Animalium Bilis*; quæ in Ulceribus glutinosis & folidis detergentis appriime convenit. Huc spectat quoque *Vitellus Ovi*; qui vero optimus est, modo cum pauxillo Bilis commisceatur. 20. *Artificialia*: ut sunt *Sapo Venetus*, & *Niger*, *Sal Volatilis Oleofus*, *Sal Regeneratur SENNERTI*. *Tinctura Tartari* ex Sale fixo cum Spiritu Vini, nec non *Elixiria* cum Salibus alcalinis & Aqua composita.

2. *Emundantia* sunt ea, quæ detergent abluunt simul per *Vehiculum Aquosum*. Huc ergo referuntur omnia quæ vi propria eliquant id quod adhæret, idemque, per *Vehiculum Aquosum*, diluunt & expellunt.

S

3. *Ers-*

3. Erodentia dici debent illa , quæ non modo Tenax adhærens , sed etiam semi-corrupta Vasorum Ramenta , ad vivam Carnem usque , resolvunt : oportet autem ut Carnem vivam intactam relinquent ; alioqui Caustica proprie ferent .

Erodentia sunt itaque sequentia . 10. Omnia Dolorem excitantia , quæ vero superius descripta fuere . 20. Attenuantia , Resolventia , Putrefacientia . Ceterum , si quædam mali moris Ulcera [quæ semper in Pinguedine hærent , ibi quippe facile serpunt , & phagedænicæ dicuntur] curanda sint , nihil in iis proficere poterimus , nisi Liquida per interna Medicamenta valde moveantur & expellantur , atque separatio fiat per Corrodentia externa ; inter quæ vero præcipuum obtinent locum Mercurialia Præcipitata , superimposito Emplastro Calefaciente ; sequenti die tollatur quod putrefactum est , atque de novo applicetur Mercurius Præcipitatus , usque dum omnia quæ consumi debent , consumpta sint , i. e. , donec omnes infestæ Glandulæ sint ablatæ . Si autem , propter foetorem inde orsum , aliquis abhorreat ab usu Mercurii , tunc adhiberi possunt Spiritus Urinosi Volatiles cum Cupro in iisdem soluto : hac igitur Solutione , quæ optima est , tangatur

P.III.CL.III.C.IV.*De Calefac.* 411  
gatur Ulcus ; vel , ejus loco , sumatur  
Elixir Proprietatis cum Sale Tartari &  
Aqua pura præparatum .

---

## C A P U T VI.

### *De Calefacentibus.*

1. **C**alefaciens est illud , quod **C**or-  
poris Calorem auget . Quo me-  
lius autem hujus operandi ratio no-  
bis innotescat , nonnulla de Calore in  
genere præmittenda sunt .

2. Quicquid ex Frigido fit Calidum ,  
ideo incalescit , vel quia *Ignis* aetū  
applicatur ipfi , vel quia motus indu-  
citur ei per *Attritum* . Ad Calorem  
vero producendum per *Attritum* , tria  
sunt necessaria ; scilicet , 1o. Corpo-  
rum *contactus* : 2o. Corporum *motus* :  
3o. Corporum ad se invicem *pressio* .  
Hæc autem tria nisi simul concur-  
rant , Calor nequaquam producetur ;  
contactus enim corporum , absque  
motu & pressione sive attritu , non  
facit Calorem ; attritus quoque levis ,  
i. e. , sine notabili corporum ad se  
invicem pressione , nullum excitat  
Calorem , saltem qui sensibilem se  
præbeat .

S 2      3. Hinc

3. Hinc itaque sequuntur haecce quatuor *AXIOMATA*.

*AXIOM.I.* Quo pluribus in punctis fere mutuo contingunt *atterentia corpora*, sive, quod idem est, quo maiores sunt eorum *superficies* secundum quas se mutuo tangunt, eo, ceteris paribus, major est Calor per attritum excitatus.

*AXIOM.II.* Quo motus corporum *atterentium* est violentior, ( ex brevioribus intervallis repetitus, & diutius protractus,) eo quoque, ceteris paribus, major est eorum Calor.

[*AXIOM.III.* Quo vis, qua sibi invicem applicantur haec *atterentia corpora*, est major, eo pariter magis in crescit Calor ipsorum.]

*AXIOM.IV.* Quo corpus aliquod solidius est, (durius, magis elasticum,) eo, ceteris paribus, ex actuali *Ignis applicatione*, vel alterius corporis attritu, validius incalescit.

4. Corpus autem nostrum elefieri potest, vel externe, vel interne. In corpore nostro Calor excitatur externe, 10. Ignis aut corporis alicujus calidi applicatione: 20. Frictione & attritu. Potest vero interne Calor excitari, 10. Ab externo excitato Calore. 20. Solidorum ad se invicem attritu, item & simili Fluidorum attritu ad

ad se mutuo. Porro Solidæ partes ad se invicem atteri possunt in omnibus juncturis; quum autem in iis, præter partes ligatas & ligantes, dentur quoque Liquida lubricantia, quæ inter hæc partes aſſunt; hinc omnino conſtat, quod quamdiu Liquidum illud præſto eſt, Calor non poſſit ita ab attritu augeri, ut morbosus evadat: quam prium vero Liquor iſte deſicit, tum, ab attritu partium Solidarum, Calor nimis increſcit; ut in Arthritide, Podagra, Scorbuto, &c. 30. Excitari poſt Calor a mutua Solidorum & Fluidorum in ſe invicem actione.

### *THEOREMATA.*

*THEOR.I.* Si velocitas Motus Projettilis augeatur in corpore noſtro, Vasis & Liquidis iisdem manentibus, augebitur etiam & Calor, per *AXIOM.* *II.* & *III.* Hinc ergo quicquid Circulationis velocitatem adaugeret, eſt *Calefaciens*; ac proinde Prima Classis internorum *Calefacentium* continent omnia quæ, vel Solida ſtimulando, vel Liquida movendo, Circulationem augmentant: qualia ſunt *Acria* quælibet; hinc, ex. gr., *Spiritus Vini*, quatenus ſtimulat, *Calefaciens* eſt.

S 3      *THEOR.*

**THEOR. II.** In Corpore nostro , Vasa & Motu Projectili manentibus iisdem , si Liquidi densitas augeatur , Calor etiam augebitur , per AXIOM. II. III. & IV. Secunda itaque Classis interiorum Calefacientium continet ea quæ Fluida condensant : hinc etiam Frigus eo plus calefacit , quo plus agit , si modo non supprimat omnem motum ; Liquida quippe nostra condensat : ideo post ingens Frigus externum , semper major subsequitur Calor internus ; & HIPPOCRATES obseruavit , Ventres ( sive Cavitates Liquida continentes ) solidiores esse Hyeme & Vere , quam Aestate [a].

**THEOR. III.** In Corpore nostro , Liquidis & Motu Projectili manentibus iisdem , si Vasa coarctentur , Calor augebitur , per AXIOMA I. Hinc etiam tertia Classis Calefacientium continet , 10. Omnia quæ Vasa comprimit ; ut sunt Vestes arctaæ , Stragula densa , Aer gravis , Aqua frigida ambiens , & Frigus : Ergo quicunque Hæmorrhagiis obnoxius est , ista , quantum fieri potest , evitare debet . 20. Quæ Vasa contrahunt : ( vide Contrahentia . ) 30. Quæ Vasa externe obstrictant : dummodo Sanguinis motum non impediant .

CO-

[a] Aphorism. Sect. I. Aphor. 15.

COROLLARIA.

**COROLL.I.** Si Calor augeatur in Corpore nostro , Vasis & Liquidis iisdem manentibus , plane indicat , Motum Projectilem auctum esse .

**COROLL.II.** Si Calor augeatur , Vasis & Motu Projectili manentibus iisdem , omnino indicat , Liquidorum densitatem auctam esse . Remedia igitur tune idonea sunt Rarefactio .

**COROLL.III.** Si Liquidis & Motu Projectili manentibus iisdem , Calor augeatur , Vasa arctiora fiant necesse est : hinc valde imminutis Liquidis , Calor tamen praestare potest in aliquot Morbis , ut in Tabe ; omnes enim Hectici , ob Calorem , exsiccantur ; hinc etiam eorum Fibræ rigidissimæ & contractissimæ fiant , atque propter marasnum , plurima Vasa in ipsis eundunt ; & ideo in reliquis Vasis , Fluidum [ licet hoc quoque imminutum sit ] valde coarctatur .

**COROLL. IV.** Si velocitas Liquidi ejusque moles simul augeantur , reliquis iisdem manentibus , tunc erit Calor in ratione composita utriusque ; & , in genere , si supradictorum duo quævis augeantur , tertio interim eodem

S 4 ma-

416 P.III.CI.III.C.VI. De Calef.  
manente, tum Calor increbet in ra-  
tione composita duorum auctorum.

COROLL.V. Si velocitas & moles Li-  
quidi, nec non arctatio Vasorum si-  
mul augeantur, summus Calor orietur.

## C A P U T VII.

### De Frigefacientibus.

1. **F**rigus excitatur in corpore per  
causas oppositas Calefacentibus.  
Ergo Frigus externum fit, 10. Corpo-  
rum frigidorum applicatione: hæc ve-  
re, ut experientia docet, eo magis  
frigefaciunt, quo solidiora sunt; sic  
enim Aqua frigida plus frigefacit,  
quam Aer frigidus; & Balnea ex A-  
qua simpliei minus frigefaciunt, quam  
illa quæ constant ex Aqua salina.  
Huc porro referuntur Venti, & Ven-  
tilabra; quæ corpus frigefaciunt qua-  
tenus Atmosphæræ partem nos pro-  
xime ambientem removent, aliamque  
substituunt; etenim Atmosphæræ pars  
quæ corpus aliquod calidum proxime  
ambit, semper calidior est partibus  
eiusdem remotioribus. 20. Externorum  
omnium in nostrum corpus attritum  
auferendo.

2. Jam

2. Jam vero Frigus internum fit, 10.  
 Ab externo Frigore. 20. Tollendo, vel  
 minuendo, partium internarum Solida-  
 rum & Fluidarum attritum inter se; ideo-  
 que Frigus non potest corpori conciliari  
 majus (demptis causis externis) quam  
 illud quod a Morte producitur.

## THEOREMATA.

**THEOR.I.** In corpore nostro, Va-  
 sis & Liquidis iisdem manentibus, si  
 Motus Projectilis minuatur, Calor et-  
 iam minuetur, sive augebitur Frigus,  
 per AXIOMA II. CAP. praecedentis.  
 Hinc ergo Prima Classis Frigefaciens  
 continent ea quæ Motum Projec-  
 tilem minuant: hic autem pendet a  
 Solidorum vi contractili, hæc vero a  
 Stimulo Solidis applicato: etenim quo  
 major est iste stimulus, eo quoque ma-  
 jor fit Solidorum vis, & e contrario.  
 Quicquid igitur Stimulantium vires  
 destruit, pro Refrigerante habendum  
 est. Itaque frigefaciunt, 10. Omnia  
 Diluentia; qualia sunt Serum Lactis,  
 Aqua, Hydrogala, &c. quæ vero  
 cuncta si calide sumantur, melius  
 agunt, penetrando scilicet, & laxan-  
 do. 20. Obtundentia, sive quæ stimu-  
 lam acrem infringunt; uti sunt Acida  
 quævis Alcalinorum respectu, & Al-

S 5      calina

*calina* respectu Acidorum : Hinc si Calor ab Acido fiat , ( ut s̄epe contin-  
git in Hypochondriacis ) tunc Alcalia  
erunt Refrigerantia : si autem Acre  
Oleosum sit causa Caloris , tum Acida  
Saponacea convenient ad refrigeran-  
dum ; talia vero sunt Fructuum ho-  
ræorum Succi recenter expressi ; quin  
etiam Calx soluta in aqua , Refri-  
gerans est Alcaliforum Oleosorum  
respectu . 30. *Involventia* ; nimirum ea  
quæ Acre Stimulans involvunt : hujus-  
modi porro sunt omnia Oleosa blanda  
gelatinosa , farinacea , terrestria , pin-  
guia Vegetabilium ; hinc Ptisanæ [ ex  
similibus paratæ ] optimæ refrigerant .

40. *Expellentia* ; scilicet ea quæ Stimu-  
lans impactum excutiunt , & extra Cor-  
pus derivant : Itaque hoc in casu Fri-  
gefacentia sunt illa , quæ tamen in  
se considerata calefaciunt ; ut Purgan-  
tia , Vomitoria , Diuretica , & Dia-  
phoretica .

**THEOR.II.** In Corpore nostro , ce-  
teris paribus , si Vasa minus elastica  
fiant , orietur Refrigeratio , per AXIOM.  
II.III. & IV. CAP.præcedentis . Secun-  
da igitur Classis Refrigerantibus con-  
tinet Laxantia ; quin & inde reddi pot-  
est ratio , quare Balnea refrigerat .

**THEOR.III.** In Corpore nostro , re-  
liquis iisdem manentibus , si minua-  
tur

tur Liquidi *densitas*, minuetur etiam *Calor*, per *AXIOM. II. III. & IV.* Jam vero Liquidi *densitas* minuitur attenuando, & diluendo. *Refrigerantium* itaque *tertia Classis* includit *Attenuantia* & *Diluentia*; qualia sunt *Aquosa* quæcunque, simul & *Nitrum*, quod maxime attenuat, hinc omnes *Plantæ Nitrosæ* hic loci optimæ sunt. Inde patet, cur in Morbis *Inflammatoriis*, ubi quidem *densissimus* est *Sanguis*; adeo laudentur *Attenuantia*.

*THEOR. IV.* In *Corpo*re nostro, reliquis omnibus iisdem manentibus, si *Vasa capaciora* reddantur, minuetur *Calor*, per *AXIOMA I.* Quarta igitur *Classis Refrigerantium* continet omnia illa quæ *Vasorum* *capacitatem* augent; uti sunt *Humeantia*, *Laxantia*, *Apertientia*, *Deobstruentia*. Hinc autem patet, cur tempestas *tonitruosa*, quæ levem reddit Aerem, frigore statim semper excipiatur. Inde quoque fit manifestum, quare vestibus *laxis* induiti, aut sub stragulis *levibus* in lecto jacentes, *frigi* simus; nec non cur Homines *Vasa laxa* habentes, ut *Obesi* & *Mulieres*, plerumque magis quam alii *frigescant*.

## C A P U T VIII.

## De Attrahentibus.

1. **A**ttrahentia sunt ea, quæ alii quid in Corpore nostro hærens, e loco ubi hæret, in aliud attrahendo traducunt. Hoc autem ut fiat, tria necessaria sunt; nimirum, 10. Ut materia meabilis, sive ad motum apta, redditatur. 20. Requiruntur causæ quæ materiam meabilem redditam pellant in locum destinatum, vel quæ loco destinato applicatæ, materiem ad eundem locum attrahant. 30. Requiritur ut intermedia via libera sit, per quam materies attracta sive impulsa, ad locum destinatum, sine impedimento, pervenire queat.

2. Hinc igitur tres sunt sequentes Medicamentorum Attrahentium Clas-  
ses.

I. Classis continet illa omnia quæ materiam meabilem efficiunt: ut 10. Quæcunque Solida stimulant; de quibus haftenus. 20. Omnia quæ materiam mobilem reddunt: qualia sunt Attenuantia, Resolventia, & Diluentia; de quibus etiam superius actum est.

II.

II. Classis complectitur ea omnia quæ materiæ meabilis redditæ motum & translationem producunt: talia vero sunt, 1o. Quæcunque materiam, e loco unde erat movenda, pellunt in locum determinatum: ut ( $\alpha$ ) Cordis & Arteriarum vis: [ $\beta$ ] Frictionis & Compressionis motus in Vasis quæ Valvulis destituta sunt; ita, constrictionis ope, Tumores de loco in locum transferuntur. 2o. Omnia quæ resistentiam minuunt in loco in quem materies est movenda: ut sunt, (1) Venæ-sectio, & Arteriotomæ; sic, per unam Arteriam, integrum Sanguinis massam evacuare possumus: porro, Scarificationes, Fonticuli, Setacea, Fistulæ, Cauteria, & omnia hujuscemodi Erodentia Remedia huc etiam faciunt, resistentiam scilicet auferendo: (2) Friccio; quæ quidem resistentiam tollit quatenus per Venas motum Sanguinis promovet: (3) Quæcunque Aeris externi pressionem in loco tollunt; ut Cucurbitulæ, & Suctio; hinc HIPPOCRATES, in Pleuritide, voluit latas & amplas applicandas esse Cucurbitas, scilicet ut omnis inflammatio derivaretur in Cutem. (4) Emollientia, & Laxantia; de quibus haec tenus. 3o. Omnia Attrahentia Specifica: qualia sunt Animalia Vcnenosa quæ,

quæ, Corpori applicata, sive viva si-  
ve mortua, ad se trahere dicuntur suæ  
indolis Venenum. Ita *Scorpio* super  
vulnus quod inflxit contritus, ut &  
*Bufo*, vivens aut mortuus admotus,  
proprium eliciunt Venenum. Sic *Ra-  
bidi Canis* Caro vulneri ab eodem in-  
ficto applicata, priusquam radices ni-  
mis altas virus egerit, nonnullos fa-  
nasse dicitur. Ita quoque *Lapis de Ser-  
pente*, si vulneri a Bestia Venenosa fa-  
cto applicetur, ibidem hærere donec  
totum exhauserit Venenum, tum spon-  
te sua decidere dicitur: narrant etiam,  
quod si, postquam deciderit, immit-  
tatur *Lacti*, hoc pacto iterum depure-  
tur, virtutemque suam recuperet. (a)

III.

(a) *Specifica* profecto istiusmodi nusquam  
haec tenus adeo certa confirmavit experientia,  
ut sublestæ sidei non habeantur ab emun-  
ctioribus quibusque Medicis: unde quidem  
hæc, [ si modo contritum, super vulnus  
infictum recentissime, *Scorpionem* exceper-  
tis ] non tantum incerta esse, sed etiam va-  
na hand ita temere quis dixerit; eapropter  
hisce solis confidere, dum & probatoria &  
efficaciora prostant, inconsultissimum esset  
ædepol! ac omnino temerarium. Quod e-  
nīm pertinet ad *Buonem* vulneri ab ipso  
infecto admotum, & *Canis Rabidi* Carnem  
similiter applicatam, hæc anilia esse com-  
menta meraisque nugas agnoscunt Physici pru-  
dentiores bene multi: nec etiam hocce poste-

III. Classis continet illa quæ viam  
mediam præparant: qualia sunt, i. Ea  
quæ

rius *Specificum Attrahens* ad curam Hydrophobiæ proponit, in aureis suis *Aphorismis*, præstantissimus AUCTOR noster; sed potius quælibet huc usque decantata in eo Morbo *Specificæ* merito refellit ac evertit, *parag.* 1147. Verum enimvero quid dicemus de *Lapide Serpentis*, cuius vim (in *Textu memoratam*) tantis extollunt encomiis, totque experimentis, ut ajunt, assertam suffulcire pro virili conantur Auctores quam-plurimi; inter quos vero bini potissimum eminent maximi nominis Philosophi, ATH. KIRCHER (*in China illustrata*), & ROB-BOYLE (*in Tract. de Medic. Specif.*)? Huic sane questioni jam diu satisfecit FRANC. REDI, in sua ad KIRCHERUM *Epistola de Experimentis Naturalibus*, pag. 3. & seq. luculentisque, apud Aulam Etruscum, captis experimentis evicit, vanas esse penitus, utut adeo jaæatas, Lapidis hujusce vires. Eodem super argumento consuli quoque meretur imprimis ENGELB. KÆMPFER, *Anænitat. Exotic. Fasc. III. Observ. X. Sect. 2.* Cæterum, qui plura de hac reveruerit, conferat adhuc DALE, *Pharmacolog.* pag. 395. Edit. Londin. in 4. ann. 1737; ubi quidem variae Auctorum sententiæ, cum de natura, tum de viribus istius Lapidis, collectæ reperiuntur. Conferri etiam potest, super hac re, FRIDER. HOFMANNUS, in *Clav. Pharmaceut. SCHROD.* Lib. V. Sect. I. §. xxxiiii. pag. 685. & 686. Porro, quoad naturam hujusmodi Lapidum,

424 P.III.CI.III.C.VIII. De Attrah.  
quæ Vasa laxant : 20. Quæ Liquida  
meabilia reddunt : 30. Quæ , Suppura-  
tionem procurando , viam apertam ef-  
ficiunt .

qui Serpentini dicuntur , notum est hodie ,  
plerisque ( ac forsan omnes ) esse factios ,  
ut pote qui , in hanc formam , & Ossibus  
quibusdam calcinatis , in India Orientali ,  
effingantur . Hinc ergo patet , dubium ad-  
modum esse quod de hoc Lapis apud Au-  
tores passim invenitur , scilicet , illum ex-  
trahi e corpore cœusdam Serpentis , quem  
Lusitani *Cobra de Capelo* , Galli vero *Ser-  
pent au Chaperon* vocant . Vide LEME-  
RY , *Dictionnaire Universel des Drogues Sim-  
ples* , pag. 481. Edit. Parisin. ann. 1733.

---

## C A P U T I X.

### *De Repercutientibus .*

1. **R**epercutientia sunt illa , que ma-  
teriam hærentem in aliqua Cor-  
poris interna Parte , magis adhuc versus  
interiora propellunt . Horum autem actio  
est cum Attrahentium operatione , mu-  
tatis solummodo terminis a quo & ad  
quem .

2. Hinc etiam tres dantur Medica-  
mentorum istorum Clases .

I. Classis Repercutientium non dif-  
fert ab Attrahentium prima .

II.

II. Classis continet ( loco Attrahentium , quæ commode nequeunt interne applicari ) Evacuationes varias : quales sunt Purgationes per Hydragoga , Venæ-sectio , Ptyalismus , &c. quæ vero operantur quatenus materiam e loco revellunt .

III. Classis includit 10. Omnia aëlu Frigida ; siquidem Fibræ a frigore constrictæ , materiam versus interiora propellunt : sic igitur Aqua frigida , Ace- tum frigidum , &c. hic loci conducent ; quin etiam quo densius & compactius est corpus frigidum , eo melius agit . 26. Omnia Styptica , Contrahentia , & Constringentia , externe applicata .



CA-

## C A P U T X.

*De Suppurantibus, & Maturantibus.*

1. **S**uppurantia sunt ea, quæ Corporis vivi Partem aliquam in Pus convertunt: Corporis, inquam, vivi, quia nemo hactenus usquam Solida vel Liquidula Cadaveris in Pus convertere potuit. Pus autem est materia spissa, utcunque pinguis, cum Aqua tamen miscibilis, coloris subalbidi, odoris & saporis nullius, modo laudabilis sit.

2. *Suppuratio* nulla fit unquam nisi fracta sint Vasa; ita ut Liquidum effluat; siquidem a nemine *Pus* observatum est unquam ex aliquo rupto Vase effluere statim ab ejus ruptura; verum enimvero Liquidum illud tunc effluens, post aliquod temporis spatium, stagnando, *Pus* evadit; prout hoc inde patet, quod si *Vulnus* indesinenter abstergeatur, *Pus* in eo nequam inveniatur: ergo Liquidum extravasatum stagnando convertitur in *Pus* ope caloris; pars etenim liquidissima tum exhalat, viscosior vero remanens *Pus* constituit: & hoc quidem quamdiu blandum existit, optimum

mum est balsamum; diutius autem com-  
morando, per eundem calorem vertitur  
in Liquidum tenuissimum, flavum, ci-  
neritium, rubellum, tandemque nigrum,  
acre, erodens, Nervis inimicum.

3. Medicamentum ergo *Suppurans*  
est quicquid Vascula rumpit, Liqui-  
dumque effundit, effusum cum Solidis  
fractis commiscet, deinde quod maxi-  
me liquidum est dissipat, tandemque  
reliqua moret & coquit.

4. *Suppuratio* requiritur ubi materies  
impacta resolvi, & extravasata resor-  
biri non potest. Hæc itaque vitetur  
ubi materia peccans in Pus converti  
nequit, ut in Skirro, **Cancro**, Exo-  
stosi: vitetur etiam in locis unde Pus  
factum educi non potest, ut in parti-  
hus internis.

5. Omnia *Suppurantia* ad tres Clas-  
ses sequentes reduci possunt.

I. Classis continet ea quæ Vasa le-  
niter stimulando, *dissolvunt*: qualia  
sunt, 10. Gummi partes aromaticas &  
mobiles habentia; ut Gummi Ammo-  
niacum, Elemi, Bdellium, Galbanum,  
Opopanax, Sagapenum, Myrrha,  
Tacamahaca, &c. 20. Cepæ assatæ cum  
Farina & Oleo junctæ. 30. Mel cum  
aliis mixtum. 40. Quædam Plantæ; ut  
Laurus, Chamælænum, Crocus, Me-  
lilotus, Sambucus, &c.

II.

II. Classis includit ea quæ partes antea stagnantes & alias separatas inter se jungunt per Vim Vitæ superstitem : istud autem fit ope Attrahentium, quæ mobiles Liquidorum partes determinant ad locum ubi Pus fieri debet. Huc igitur pertinent, 10. *Aqua-fa* omnia tepida, quæ Vasa laxant ; unde major oritur motus ad locum supradictum. 20. *Humerantia*, sive *A-quosa viscosa* ; ut Anagallis, Lens Pa-lustris, Nymphæa, Parietaria, &c. quæ vero cuncta partes aquosa & glutinosa continent.

III. Classis complectitur ea quæ Liquida in locum determinatum mota coercendo, impediunt ne, per corporis calorem, nimis dissipentur. Huc itaque spectant omnia quæ Poros sic occludunt, ut materia ibidem retineatur, moveatur interim, nec tamen exhalari possit : hæc autem sunt Emplastica ; uti 10. *Gummi aromatæa*, respectu partis glutinofæ & inertis ; at vero respectu partis acris & volatilis stimulando agunt. 20. *Mel coctione tenax redditum*. 30. *Farinæ omnes ex Fabis, Pisibus, Ciceribus, Lino, Frumento, &c.* 40. *Ficus*, præsertim si pars acrior igne leni expulsa fit. 50. *Cereæ*. 60. *Ovorum Vitelli*. 70. *Butyrum recens*. 80. *Pinguines omnium Animalium*. 90.

*Olea*

*De Suppurant. & Maturant.* 429  
*Olea blanda expressa.* 100. *Herba Emollientes* dictæ.

## COROLLARIA.

**COROLL.I.** Quum tria sint ad Suppurationem necessario concurrentia, hinc patet, quantus sit illorum error, qui Medicamenta quædam, absolute & in se considerata, semper habent pro Suppurantibus; quandoquidem talia revera non sint, nisi quatenus cum aliis coniunctim applicantur.

**COROLL.II.** Formulæ Suppurantium variz præscribi possunt, atque debent, prout materia suppuranda magis minus-ve mobilis est, magis minus-ve sub Cute profunda, prout existit in parte magis minus-ve glandulosa. Itaque si suppuranda sit *ingens Inflammatio*, tunc omissis primæ Classis Medicamentis, ea solummodo secundæ ac tertiae debent adhiberi; si vero materies adsit *lenta*, & Vis Vitæ debilis, tum primæ Classis Suppurantibus opus est.

6. Jam sequuntur Suppurantium Formulæ, pro tribus diversis Classibus.

(1) Ad suppurandam Inflammationem valde calidam,

R. *Acetosæ recent.* M. iv;

Buu-

*Butyr.* recent. 3 ij;

*Farin.* Secal. q. s.

M. F. Cataplasma igne lenissimo.  
*Acetosa* resistit *alcalinis* & *Farina Secalis* in calore omnium facillime  
 aceſcit ; in Inflammationibus autem  
 valde calidis Liquida ſemper tendunt  
 ad *alealinam* naturam ; eapropter hæc-  
 ce Formula optima eſt ad Bubones in  
 Peste : porro non major additur *Butyri*  
 quantitas , quia gravius Emplaſtrum  
 non eſt adhibendum , ob Gangrænæ  
 metum .

(2) In frigido caſu , ſive Tumore  
 frigido , cum inertia Vitæ ac hærentis  
 Liquidi ,

*R.* *Flor.* *Chamælii* ,  
*Sambuci* ,  
*Meliloti* , ana 3 ii ;

*Croci* 3 ℥ ;  
*Gummi Galbani* [ in Vitello Ovi  
 ſoluti ]

*Olei Chamæm.* ana 3 i ;  
*Farin.* *Orob.* q. s.

M. F. Cataplasma .

Methodus iſta *Gummi* ſolvendi , ma-  
 xime convenit in caſibus ubi aperien-  
 dum eſt . Hæc autem Formula eſt opti-  
 ma ubi Skirrhī metus adeſt .

(3) Ad Glandulas skirrhofas in Pus  
 convertendas ,

*R.* *Mellis* ad tenacitatem cocti ,  
 Fi-

*De Suppurantibus, & Maturant.* 431

*Ficuum recent. contus. ana* 3 *ii;*

*Ceparum sub ciner. assat.* 3 *iv;*

*Ol. Lilio. Alb. q. s.*

*M. F. Cataplasma.*

Hæc Formula *Suppurationem*, absque magna inflammatione, eleganter promovet: si vero Tumor adsit *lentus*, ut in Bubone Venereo, tunc alia opus est Formula.

7. *Maturantia* proprie sunt illa, quæ *Suppuranda* ita solvunt, ut tota materies in unum locum coeat, sine divisione aliqua aut separatione per cellulas facta, eo scilicet fine, ut *Emissario* facto, omne *Suppuratum* una vice expellatur. Quum autem *Suppuranda* nihil aliud sint, quam *Solida semi-fracta* & *Liquida stagnantia*, hinc etiam *Maturans* aliud non est, quam *Suppurans* tamdiu applicatum, donec omnia resoluta fiant.

8. Ceterum, factam esse novimus *Maturationem*, ex summa Partis molitie & fluctuatione. Quo vero diutius materia *suppuranda* clausa manet, eo faciliter coquitur: & quidem summopere curandum est, ut omnes partes induratæ circumquaque molles evadant, antequam aperiatur *Cutis*; hac enim semel aperta, haud facile potest ad *Suppurationem* duci quod prius *suppuratum* non erat.

*QUAR-*